

*Guglielmo Ruffo è nominato capitano
della città di Reggio Calabria*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Guglielmo Ruffo è nominato capitano
della città di Reggio Calabria*

1340-01-17

Robertus, Dei gratia rex Hierusalem et Sicilie rege, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii, ac Pedemontis comes, viro nobili Gulielmo Ruffo, comiti Sinopolis, cambellano familiari et fidei suo, gratiam suam et bonam voluntatem. A regnorum custodiam malorumque vindictam portata principis gladius exercet imperii potestatem, que dum iuste saevit in reprobos, pacificos servat in tranquillitate securos. Ut igitur executio iustitie vigeat et servitus discipline publice non lentescat, proinde constituendi sunt presides qui ab iniuriis innocentes custodiant et apertis hostibus equaliter omnibus plenarie confidentes.

Te capitaneum civitatum Rhegii et Giracii diximus usque ad nostrum beneplacitum, tenore presentium faciendum. Religioso viro fratre Bertrando de Malobosco, Sacre domus Hospitalis fratre, commendatore domorum Neapolis et Venusii, huiusque capitaneo dictarum civitatum Rhegii et Giracii abinde remoto, tue fidelitati mandantes quatenus, statim receptis presentibus, ad ipsas civitates, terras et loca te personaliter conferens, statum facias earumdem comitatum ac terrarum aliarum et locorum omnium predictorum prosperum et tranquillum, ac tue interne considerationi exicias et curam diligentis operationis opponas. Sicque iamdicti inibi capitanei officium ad honorem et fidelitatem nostram, heredumque nostrorum, diligenter et fideliter studeas exercere: singulis eque querentibus, absque exceptione aliqua personarum, quantum ad idem officium dignoscitur pertinere, iustitiam ministrando, neminemque gravando rancore vel odio, seu relevando iniuste prece, pretio, gratia vel amore; ecclesias, ecclesiasticasque personas, pupillos, viduas aliasque personas miserabiles iustis

protegendo favoribus et tuendo. Necnon certam opportunam custodiam civitatum, terrarum et locorum nocturnam atque diurnam et curam pervigilem apponendo, quia fideles nostri dictarum civitatum Rhegii et Giracii, terrarum et locorum aliorum in fronteria hostium positorum, ab illorum insidiis et pravis machinationibus preserventur illesi et in statu conserventur pacifico; reproborum refrenetur audacia, bonorum grassatoribus tute sint semite. Teque de ipsius officii administratione laudabilem in qua utique iura omnia regni, constitutiones et capitula pro eiusdem regni status reformatione conquisita, sine transgressione per valorem processus, laudabiliter observare et opera laudanda commendent. Recepto a te in nostra curia, tam solito fidelitatis quam de ipso officio exercendo fideliter corporaliter ad Sancta Dei Evangelia iuramento, omnibus baiulis, iudicibus, magistris, iuratis et universis hominibus dictarum civitatum, terrarum et locorum eorumque districtuum, per alias nostras iniungimus litteras ut tibi, tamquam capitaneo per nos nominato in dictis civitatibus, terris et locis statuto, in omnibus quae ad dictum officium spectare noscuntur, devote pareant et intendant. Omnes poenas et damna que tuo durante officio eis attuleris rata gerimus et firma, eaque per te pro parte nostre curie volumus a transgressoribus, prout iustum fuerit, inremissibiliter extorqueri. Ab consulari autem regiminis dicti officii iudicem fidelem nostrum [...] pro iudicem, et assessores, et notarum [...] fidelem nostrum pro actorum notario diximus deputandos, quos recipias, teneas et tractes decenter dicto durante beneplacito, in officiis supradictis; cum pro te, gente tua statuta, dictos iudices et actorum notarios aliae nostre littere declarabunt. Contra dictum

quoque predecessorem tuum suosque iudices, actorum notarios et familiares ipsius, quos in eadem provincia remanere iubemus, syndicationis de processibus et excessibus eorum prefinita tempora completuros, iure capituli et alia inibi servaturos que nova regia editio sancita declarat, procedas ad syndicationem eandem iuxta predicta capitula, una cum iudice Iacobo de Capua de Rhegio, quem ad haec duximus adhibendum, cui iudici erit gagium ad rationem de tareno auri uno ponderis generalis, et idem exhibeas de pecunia eorundem taxanda et fideliter exigenda. Et quia, sicut accepimus, nonnulli officiales abusive ceperunt sculte forme sigillo in officio suo uti, quod nec scultura debitas demonstrationes ipsius nec illius characteres nosci possint et nota legibili comprehendi, de quo multi de facili scrupuli dispendiose resultant: iniungimus et tam te quam successores tuos singulos observare iubemus ut sigillum forme patentis, in cuius medio ipsa scultura propriorum insignium conspici et per circuitum characteres nominis tui notabiliter legi possint, fieri facias studeas, eoque in officio ipso uti, poena contra te, si presumas fortasse contrarium, nostro arbitrio reservata. Illud nihilominus te servare precipimus ac facere continue observari, ut omnis receptio quorumcumque proventuum scriptorum quidem gratis per manus exactoris dicti actorum notarii vel alterius fide digni, dummodo subscripte per manus dicti actorum notarii subsignantur sigillis quippe vestrum trium et subscriptionem dicti iudicis semper firmata sit; equidem quod si contingat dictum iudicem vel actorum notarium egrotare vel cum causa fortasse obesse tuos, tum illo tempore destines qui aderit et valebit ordinationem ipsam et receptionem pecunie predictorum proventuum recipere.

Et in antea teneas et observes ceteras executiones et condigne laudabiles predecessorum regnorum Sicilie provide instituta servare, et tam te quam dictos iudicem et actorum notarium quos habes a curia presentabis quotannis; et vos post depositionem officiorum vestrorum debetis coram magistris rationabilibus magistri camere Neapoli residentibus, particulariter et signanter, de administratione iustitie quam servastis infra tempus officiorum vestrorum, singulis conquerentibus tam fiscalibus quam privatis, prout convenit debitam ponere rationem iuxta approbatam consuetudinem in talibus observatam. Igitur ergo illa te gerere studeas quod merearis probabiliter verbum laudis, nec de contrario dura poena percipiatur. A predicto autem predecessore tuo, quem per alias litteris nostrs ab eodem officio cessare precipimus, recipies in scriptis sub sigillo tuo capturas, se quas habet cum nominibus et cognominibus et calumnias eorum, necnon residua quelibet quorumdam proventuum acta soluta et mandata excedentia, tam de tempore suo quam suorum in eodem officio predecessorum; et ad solutionem vel ad condemnationem captivorum ipsorum, iuxta merita probatorum vel proditorum, iustitia mediante, procedas; et residua ipsa proventuum intelligas acta et mandata pendentia in eo quo pendent, tam super negotiis fiscalibus quam circa privatorum, diligenter exequaris. Quota debita contra praedecessorem tuum predictum suo tempore reservanda, quod omnino infra tempora legitima residua ipsa recolligere, acta et mandata pendentia exequi infra sui temporis officii, iusta causa probabili, recepisse; contra eum procedatur ad poenam exinde debitam iuxta ritum romanum in talibus observatum. Et super eisdem tua gagia pro te et gente tua

predictisque aliis tuis de ordinatione nostre curie in nostra curia recepturus, omnes et singulos proventus per te tuo officii tempore forsitan acquirendos in dicta civitate Rhegii ab hominibus quidem civitatis ipsius, in reparationem murorum et moeniorum eiusdem civitatis Rhegii convertantur; aliam autem pecuniam proventuum in aliis terris iurisdictionis tue acquirendam pro parte nostre curie studeas conservare. Hinc autem tibi, ut premittitur, iniungimus ut ad syndicationem dicti predecessoris tui, iudicis et actorum notarii predictorum ac aliorum subofficialium eorundem, procedas iuxta capitula; quia tamen non est equum atque conveniens ut officiales in una tantum terra huiusmodi gerentes officium tempore syndicationis eorum tantam materiam in ipsa syndicatione trahere debeant, quantam officialibus ceteris qui per diffusas provincias statuuntur edita circa hec capitula ipsa constituunt: tam ipsorum syndicatio tunc temporis exigat, cum volumus ut predicti predecessores tui, iudex et notarius ac subofficiales et familiares ipsorum in civitatibus, terris et locis aliis antedictis, pro quolibet anno quo inibi in dictis officiis exercuerunt, viginti dierum spatio moram trahant, medietatem scilicet temporis quod capitula diffiniunt memorata. Nec predicta syndicatio incipiat nec habeatur quousque eadem acta et mandata pendentia tibi sub sigillis eorundem praedecessoris tui, iudicis et actorum notarii, tibi fuerint assignata. Volumus autem ut processus syndicationis eiusdem, sub sigillis tuo ac dicti sindicantis tibi adhibiti, infra mensem unum postquam completum fuerit, Sancie Hierusalem et Sicilie regine, consorti nostre carissime, destinare procures, certa poena in casu contrarii nostro motu arbitrio reservata.

8

1

2

Datum Neapoli, per Ioannem Grillum de Salerno, iuris civilis professorem, viceprothonotarium regni Sicilie, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo, die decimo septimo mensis ianuarii, octave indictionis, regnorum nostrorum anno trigesimo secundo.

Manca nel testo.

Manca nel testo.